



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fvldensivm Antiquitatvm Libri III.

**Brouwer, Christoph**

**Antverpiæ, 1612**

Cap. XIV. Rudulphi historia de erectis à Hrabano Ecclesiis, & importatis Reliquiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39712**

## CAPVT XIV.

*Hrabani acta, quæ Rudolphus descripsit.*

**H**OC capite Rudolphus, quem locupletissimum sæpè testem vsurpauimus, ipse loquetur; ventum enim iam ad Fuldensium velut antiquitatis solem & puluerem. Nec tam vitæ Rabani Phœbus hic noster vestigia premit, quàm operum, quæ reliquiis transferendis, & instruendis Ecclesiis Rabanus suscepit, exequitur seriem. quam ob rem huic libro, quem primum iam luce donamus, geminam quam legis inscriptionem dedere. Neque distinguere, quod continuauit auctor, in capita par erat; nec operæ, notis vberioribus enucleare res ab aliis & sæpius hinc illustratas. Occurrent haud pauca quoque, vulgo incolarum, scio, nota loca; & labor insequens, si quid expectabitur amplius, à fastidio pariter & ignoratione non neminem vindicabit. Lucebunt, & faculas etiam obiciant lectori, breuiculis rapti punctis, & adpersi radij ad oram marginalem. Iam denique, quia Rudolphi ingenio fruimur, qui eius alicubi laudes pænè contriuimus, hinc & iusta illi sua persoluamus.

Annales Francorū incerti auctoris ex Bibliotheca P. Pithœi.

DCCCLXV. *Rudolfus Fuldensis canoni presbyter & monachus, qui apud totius pænè Germaniæ partes, doctor egregius & insignis floruit Historiographus, & poëta, atque omnium artium nobilissimus auctor habebatur, VIII. Id. Mar. diem vltimum feliciter clausit.*

Hermannus Contractus recens editus tom. I. Antiq. lect.

\* Rudolfus  
sed mendosus.

\* *Rudolfus Fuldensis presbyter & monachus, doctor, poëta, & historicus satis doctus, VIII. Id. Maij obiit. At longè his antecellit*

Luduicus Luduici Pij F. Rex Germaniæ &  
Orientalium Francorum:

Luduici regis  
in Scholasticos  
Fuld. liberalitas.

In chartâ donationis, quâ Scholasticos Fuldenses profecutus est, Luitulfo, Christano, Hesson, Comitibus, ceterisque fidelibus edicit, se censum & regios colonos, & eorum omnem vtilitatem, pro æternæ mercedis augmento concedere cuidam fidei clerico, Oratori

Rudolphus  
Luduici Cō-  
fessionator &  
Confessarius.

& Confessori suo, Rudolpho videlicet monacho, qui præest scholaribus in monasterio S. Bonifacij Fuldæ; velleque fructum ad ceteros item transire scholasticos. Datum Fuldæ monast. VI. Kal. Febr. Indiæ. XII.

LIBER HRABANI Ex MS. Eccl. Fuld. gemino titulo.

DE

RELIQVIIS SANCTORVM.

VITA RABANI ABB.

EDITA

A RVDOLFO PRESBYTERO.

**S**CRIPTORES rerum Ecclesiasticarum, cum sapienter, tum etiam vtiliter, instituerunt vitas & facta iustorum, & secundum diuina præcepta viuentium virorum, per litterarum reuelationes tradere posteris. Merito à fidelibus magnis ideò laudibus extolledi, quòd non inuidiosè silentes ea prætermiserunt, sed charitate, quæ omnibus prodesse desiderat, abundantes, ad exemplum rectè viuendi cunctis imitari volentibus, fidei veritate subnixi, protulerunt. Si enim non ita fecissent, nequaquam scire potuissemus, quid sancti Patriarche, quid Prophete, quid Apostoli, quid etiam ceteri sancti Martyres & Confessores Christi gesserint, vel docuerint; quibusque signis & virtutibus ante vel post mortem suam claruerint, nisi ex eorum scriptis credita & intellecta nosceremus; qui ea non captandæ propriæ laudis intentione protulerunt, sed, vt per eiusmodi exempla, ad emendandos prauos mores humanæ præsumptionis, & ad conlaudandam diuinæ maiestatis potentiam, quorumcumque animos incitarent. Itaque eorum laudabile institutum pro modulo meo sequens, facultate quâ valeo, scribere nitor virtutes & miracula, quæ Deus per Sanctos suos modernis temporibus facere dignatus est; quorum sacri cineres regionem nostram illati, quotidie fidelibus causâ salutis existunt; credens me non inaniter, imò vtiliter, & mihi metipsi, & multis aliis laborare. Mihi quidem; quia præmium laboris mei cum eis, quos ob laudem Dei in simili opere sudantes imitatus sum, me habiturum esse, per Dei gratiam \* confidens; aliis verò, quia rebus cognitis,

\* confido;

nitis, veneranda Sanctorum sollennia fidelius amplectuntur, & maiore mentis deuotione accensi, in laudem Creatoris sui lætius adsurgunt.

*Reliquiarum  
crebra ab vr-  
be Româ in  
Franciam  
translaciones.*

Temporibus igitur Hludowici Imperatoris, qui post genitorem suum Karolum Magnum Imperatorem per annos septem & viginti Francorum tenuit Imperium, multorum reliquiarum Sanctorum ab vrbe Româ in Franciam delatæ sunt; quarum aliæ quidem ab eis adductæ sunt, qui iussu dominorum suorum, vt id efficerent, Romam profecti sunt; aliæ verò, per Clericos sanctæ sedis Apostolicæ & ciues Romanæ vrbis allatæ, vel per viam, quâ ferebantur, vel in locis, quibus susceptæ & conditæ sunt, multis & magnis miraculorum signis, cuius essent apud Deum meriti, claruerunt. Constat namque reliquias S. Sebastiani martyris ab vrbe Româ deuectas; & ab Hilduino Abbate apud Augustam \* Sueffionum Galliæ ciuitatem, in ecclesiâ S. Medardi confessoris venerabiliter conditas, tantis & tam inauditis omnibus retrò generationibus florere miraculis, vt relatio eorum fidem excederet, nisi certum esset omnibus fideliter credentibus, quòd Deus & Dominus noster IESVS Christus, qui gloriosus est in Sanctis suis, mirabilis in maiestatis, faciensq; prodigia, omnia quæcumque voluerit in cælo & in terrâ, sine vllâ difficultate potest efficere.

*S. Sebastiani  
in Sueffiones.  
\* Sueffionum  
Einardus de  
translat. san-  
ctor. Martt.  
Marcell. &  
Petri lib. 1.  
c. 7. & lib. 2.  
c. 1. 3.*

*Marcellini  
& Petri, ac  
aliorum, in  
Saligunstat  
Abbatiam.  
Einhard. ipse  
l. 1. à cap. 10.  
vsque ad 18.  
vlt. & lib. 2.  
\* Mülnheim  
vetustodiplo-  
mate Luduici  
Pijdescribitur  
in pago Mos-  
negouu, su-  
perripam flu-  
minis Mosn.  
Extat 3. tom.  
veteres scri-  
ptor. Germ.  
& apud Ein-  
hard. dicitur  
Mülnheimü  
vicus.  
\* Ab Einhar-  
do cit. qua-  
tuor libellis.*

Ossa quoque BB. martyrum Marcellini & Petri, Proti atque Hyacinthi, cum reliquiis S. Hermetis, non minore miraculorum gloriâ, in diuersis sanitatibus infirmantium cotidie fulgent; quæ & ipsa à Româ translata, & ab Einardo Abbate adducta, iuxta Mœnum Germaniæ fluuium, in villâ, quæ prius Mülnheim, nunc autem Saligunstat dicitur, dignâ celebratione à fidelibus venerantur. De quorum translatione simul & virtutibus, quas per eas Deus operatus est, quia \* diligenter memoriæ traditum est, hîc dicere omitto. De ossibus verò Alexandri martyris & aliorum Sanctorum, quorum nomina suis locis dicentur, scribendum esse censeo, qualiter, & à quibus, vel ad quæ loca translata sint: quibusque signis & virtutibus, siue in itinere quo ferebantur, siue in locis quibus condita sunt, flouruerint, memoriæ tradendum; vt cum de translatione & miraculis eorum, secundum veritatem gestorum fuerit sermo pro-  
latus,

latus, quibus in locis à fidelibus veneranda debeant inueniri, per hæc scripta valeat agnosci. In eâ parte Germaniæ, quam Franci, qui dicuntur Orientales, inhabitant, locus est ex nomine vicini fluminis Vulda vocatus, situs in saltu magno, qui moderno tempore ab incolis illarum regionum Bochochia appellatur; quem S. Bonifacius martyr, Legatus in Germaniâ ab Apostolicâ sede directus, & Episcopus Magontiacensis Ecclesiæ ordinatus, quia secretus erat, & à populari frequentiâ valdè remotus, impetrauit à Carlmanno Rege Francorum, & cum auctoritate Zachariæ sanctæ sedis Apostolicæ summi Pontificis, monasterium in eo constituit monachorum, anno ante passionem suam decimo, qui fuit ab Incarnatione Dominicâ quartus & quadragesimus & septingentesimus annus. Huic itaque monasterio quintus à B. Bonifacio præfuit in regimine Hrabanus Abbas & præceptor meus, vir valdè religiosus, & in Scripturis diuinis ad primè eruditus: cuius omne studium fuit in meditatione legis Domini, & in doctrinâ veritatis; curaque maxima, circa disciplinam monasticam & profectum discipulorum. Mens eius ad ea disponenda, quæ ad cultum diuinum pertinent, semper erat intenta. Quotiescumque à curis sæcularibus, quas, prout possibile erat, toto nisu declinabat, liber esse permittebatur, aut alios sacris litteris instruebat, aut in legendo vel dictando, diuinis Scripturis semetipsum pascebat. Inter hæc, & alia, quibus in oratione, vigiliis, & abstinentiâ, ceterisque virtutum titulis formam se sibi subditis præbebat, Monasterium totum domibus apertis, & habitaculis congruentibus, extruxit; & Ecclesiam, ex diuerso metallorum pretiosarumque vestium genere, pulchrâ varietate decorauit. Per Cellas quoque fratrum sibi commissorum, & per alia loca multa ad se pertinentia, in quibus prius non erant, ecclesias cum permissione Episcopi sui construxit; quas collectis vndecumque Sanctorum reliquiis, eorum nomine & honore cōsecrari fecit. Erant etiam per diuersas prouincias prædia Monasterio subiacentia, partim ex donis Regum, partim ex liberalitate fidelium personarum, propter amorem Dei, & venerationem S. martyris Bonifacij, illuc collata: quorum alia quidem per villicos ordinauit; alia verò, & maximè illa, in quibus eccle-

*Fulda & Vulda. Bochochia.*

*Monasterium ibi quando institutum.*

*Anno dcc. xliij. Hrabanus Abbas.*

*Eius encomium.*

*Occupationes & studia.*

*Oeconomia.*

*Ecclesiarum erectiones.*

*Prædia in Italiam usque dilatata.*

*laicos*

cri  
tate  
ses.

*Adumar  
Comes.*

*Alabingus  
Italia dyna-  
sta origine  
Francus.*

*Ado presby-  
ter Fuld. pra-  
dy Italici su-  
rior.*

*Deusdona  
Diacon. Ro-  
manus reli-  
quias S. Ale-  
xandri mart.  
transfert in  
Alemāniam.  
De hoc Egin-  
hartus, lib. 1.  
& 2. aliquo-  
ties, & in fine  
quart.*

*\* Thurigave,  
Tur-  
gave vel  
Durgow;  
notus in Ale-  
mannia &  
finibus Hel-  
vetiorū tra-  
ctus. Adi Or-  
tel. in v. Tu-  
regum.  
Brusch. in  
Sangall.  
Monast cata-  
logo, &c.  
Miracula  
apud S. Ale-  
xandri reliq.  
patraia.*

fiæ fuerant, presbyteris procuranda atque disponenda commi-  
sit. E quibus, qui in Italiâ prædium procurabat, quod Adumar  
quondam Comes S. Bonifacio tradidit, nomine Addo, inde  
rediens, inter cetera retulit, Alabingum, quemdam potetem in  
Italiâ virum, mandasse Abbati, quod cuiusdam sancti Marty-  
ris ossa vellet ei transmittere, si congruus ab eo venerationis lo-  
cus exhiberetur; partemque hereditatis suæ, quam in Franciâ,  
vnde oriundus fuit, habebat, solenni donatione loco illi con-  
ferre disponderet, ad deseruendum vsibus eorum, qui ibi essent  
feruituri. Quibus ille auditis, quia multum in Domino gavi-  
sus, talium rerum desiderio non parum mouebatur; absolutisq.  
celeriter causis, propter quas Presbyter venerat, remisit eum in  
Italiam, mandans memorato viro Halabingo, in translatione  
reliquiarum illius Martyris non segniter agendum, quin po-  
tius, propter varios euentus rerum, omni velocitate, vt efficeretur,  
esse festinandum. Iam se diuinis officiis faciendis basilicam  
congruentem habere constructam, & omnia parata, quæ  
ad susceptionem & cultum eiusmodi rerum vsus exposcit.  
Neque aliquid esse ex hac parte impedimenti, quin pollicita-  
tionem suam, si voluntas non defuerit, valeat implere. Cumq.  
profectus esset Presbyter, vt in Italiam reuerteretur, contigit, vt  
quidam Diaconus Romanæ Ecclesiæ, nomine Deusdona, ve-  
niret in Franciam, specie quidem, quasi pro quibusdam suis  
necessitatibus Regis opem imploraturus, re autem verâ, San-  
ctorum quas secum habebat reliquias daturus alicui religiofo-  
rum in Franciâ virorum, cuius adiutorio posset inopiæ suæ ali-  
quod capere supplementum. Transcens igitur Alpium iugis,  
cùm ad plana & campestria descendisset, in finibus Alaman-  
norum venit ad quamdam villam, quæ vocatur Kentibruto, in  
pago \*Zurihgawe, vbi ecclesiam cum Reliquiis ingressus cùm  
benignè à Presbytero susceptus esset, dedit ei partem reliquia-  
rum B. Alexandri martyris sub altare ecclesiæ collocandam.  
Quo facto, mox quanti apud Deum esset meriti, miraculis de-  
clarantibus, cœpit ostendi: audientes enim populi, Sanctorum  
reliquias esse, debiles & ægrotos & variis incommodis afflictos  
vndique cœperunt adducere, credentes per orationes Sancto-  
rum pristinam recuperare sanitatem. Inter quos femina quæ-  
dam

Brown  
Antiqu  
Fulda  
STV  
9

dam immundo spiritu possessa, basilicam introiit, cumque à Dæmon ex-  
 Presbytero iuxta morem ecclesiasticum exorcizaretur, per os pulsus.  
 illius Dæmon respondit, si ab eâ fuisset eiectus, statim in aliud  
 vas, quod sibi in eâdem regione concessum esset, ingredi debe-  
 ret; & Otmarum quemdam, quem intraturus esset, ex nomine  
 designans. Ad quem Presbyter, qui non procul habitabat, mox  
 nuntium mittens, iussit, ut confessione factâ peccatorum, pœ- Confessio pec-  
 nitentiam ageret, ne fortè facinorum suorum merito, fieret ini- ccatorum an-  
 mici. Qui præceptis obediens, ad pœnitentiam, quam diabolus tidorum cõtra  
 semper auerfatur, totâ mente confugiens, insidias euasit inimi- dæmonem.  
 ci. Dæmon verò, per virtutem S. Martyris ipsâ die eiectus, fe-  
 minam quam tenebat, sanæ mentis & incolumem reliquit.  
 Item quædam femina, orationis causâ veniens ad reliquias In aures abla-  
 Sancti, duas in aures aureas pro munere obtulit ad altare; quas te Sancto, pœ-  
 ancilla, quæ in eius obsequio erat, super altare positas concupi- nas exigunt.  
 scens, cum inter ceteras mulieres, quæ aduenerant, orationi in-  
 cumberet, oprauit in corde suo, ut eas cum iustitiâ redemptas,  
 habere potuisset. Cumque inter orandum id animo volutaret,  
 mox mirum in modum, aliis ab oratione surgentibus, ipsa se  
 erigere vllâ arte non potuit; sed ita, ut super genua sua orationi  
 incubuit, quodam rigore contracta, permansit. Interrogata au-  
 tem à Presbytero causam peccati, cuius merito tam subito  
 membrorum contractionem pertulisset; vel quid animo gere-  
 ret, quando in oratione procubuit; respondit, nullam sibi aliam  
 læsionis suæ causam videri, quàm inaurium illarum concupi-  
 scentiam: cui Presbyter, Si sancti, inquit, Alexandri voluntas  
 sit, eas, sicut desiderasti, possideas; surge & tolle eas de altari. Ad  
 cuius vocem, mox illa, sanitate receptâ, surrexit; linteumque,  
 quod circa caput suum habuit, ad altare volens offerre, nullo  
 conamine de capite potuit abstrahere. Quod cum videret Pre-  
 sbyter, & ex recuperatione sanitatis intelligeret, puellæ etiam  
 in aures, quas desiderauerat, diuinitus esse concessas, datis ei in-  
 auribus, ait: Accipe munus, quod desiderasti; idque tibi gratis à  
 Sancto Dei, non pro temporali pretio, cognosce esse donatum.  
 Illa verò gratias agens Deo, & merita S. Alexandri glorificans,  
 domum cum dominâ suâ gaudens reuerfa est. Postea contigit,  
 quasdam pauperulas mulieres orandi gratiâ ad sanctas illas  
 reliquias,

eri  
 nitate  
 ses.

*Pharichseo  
fluvius.*

reliquias, deuotâ mente properantes, venisse ad fluuium Thuri-  
rihseo, cumque non possent absque nauigio transire, nec habe-  
rent quod pro nauulo darent, non enim eis erant nisi quinque  
tantum panes ad viaticum; nauta autem cum vehementer in-  
staret, nauulum ab eis exigens, tandem obtulerunt ei quatuor  
panes, vno tantum sibi, ob necessitatem victus, reseruato. Sed  
cum ille adhuc non acquieuisset, dederunt ei & quintum, ma-  
gis eligentes ad tempus famem moribundi corporis perpeti,  
quam victuram perpetuò animam sanctæ orationis fructu  
priuare. Recepto autem quinto pane, in alteram amnis ripam  
feminas miser ille nauigio transposuit; assumptisque panibus,  
ac ceteris, quas simili inhumanitate contraxerat rebus, ad pro-  
pria redire volens, subitâ neruorum duritiâ ita dirigit, vt de lo-  
co, in quo erat, vilo se conamine mouere non posset. Stabatque  
stupefactus, ac pauore percussus cogitare cœpit, vnde ei tanti  
mali contingeret casus: tandem, accusante conscientia, in se re-  
uersus, scelus, quod commiserat, recognoscit: commissique  
pœnitens, ad Sancti reliquias, quæ iam tunc ab omnibus ferè  
regionis illius incolis, religiosâ veneratione frequentabantur,  
pro absolutione suâ ire desiderat; statimque diuinâ miseratione  
gradiendi facultatem recipiens, proficiscitur; Ecclesiam in-  
trat; panes ante altare cum publicâ facinoris sui confessione de-  
ponit; quos vt mulieres receperunt, integram sanitatem ade-  
ptus, domum suam cum gaudio repetiuit. Item quidam de  
comitatu Geraldi Comitis, nomine Perahtgarius, filius Theo-  
daldi, iter agens, cum venisset secus ecclesiam, in quâ sancti  
Martyris positæ sunt reliquie, & vellet præterire; admonitus à  
puero, qui comitatus est eum, vt ad factas reliquias, causâ ora-  
tionis, paululum declinaret, respondit, sibi tunc quidem esse fe-  
stinandum, propter legationem domini sui peragendam; tem-  
pote verò oportuno ad orationem esse veniendum. Inter hæc  
verba, subitò equus, cui sedebat, inuisibili potentia fixus, stabat  
immobilis; & licet nimium calcaribus fatigatus, nullo modo  
ad ambulandum poterat impelli: vnde factum est, vt confu-  
sus, ac pauore perterritus, descenderet de equo; & quod prius  
equitando facere contempsit, impleuit ambulando. Perrexit  
igitur ad ecclesiam, & coram reliquiis sancti Dei Martyris, ex-  
pletâ

*Senus nau-  
clerim à rigo-  
re neruorum  
liberatus.*

*Patrocini sui  
in memorem  
S. Alexander  
se venerari  
malo cogit.*

Bros  
Antiq  
Fulda  
ST  
9

pletâ suppliciter oratione, agrum iuris sui, qui possessioni ecclesie illius contiguus erat, pro salute animæ suæ, solenni donatione ei contulit; sicque itinere suo, quo missus fuerat, libero cursu perrexit. Alio quoque tempore contigit, ut vir quidam de Orientalibus Alamanniæ partibus, cum sociorum suorum comitatu non modico, causâ orationis ad prædictas reliquias veniret, portans secum donaria, ad sacrarium Domini offerenda: quæ cum posuisset super altare, protinus elapsa in terram ceciderunt: factumque est, ut tertio superposita, nihilominus in terram corruerent. Vnde Presbyter, intelligens aliquid inesse latentis nequitie menti vel actibus offerentis, ait ei, ut sua tolleretur, & ad propria remearet; monuitque eum, circa salutem animæ suæ esse sollicitum, ac purâ confessione & dignis pœnitentiæ fructibus conscientiam suam mundare, quò orationes eius & munera deinceps Deo potuissent esse placabilia. Erat vir quidam in eadem regione Sigibaldus nomine, ex cuius seruis, inter ceteras multitudines, quæ ad orandum confluebant, vnus ad ecclesiam venit, susceptusque à germano suo eiusdem ecclesie seruo, apud eum diebus aliquot mansit: cum autem reverteretur, subito in itinere, quo gradiebatur, obmutuit. Qui verò cum eo erant, cognito quod acciderat, duxerunt illum ad dominum suum; eique gestæ rei ordinem per omnia pandebant. Dominus verò serui, statim eum remisit ad ecclesiam; & quia per merita sancti Martyris Christi, recuperata pristina sanitate, curatus est, tradidit eum in loco reliquiarum eius perpetuò seruiturum. Multa quidem & alia, in eodem loco diuinitus fieri miracula, à comitantibus, celebri sermone, nuntiantur; quæ huic operi, ne fortè legentibus fastidium generarent, inserere nolui. Hæc autem, quæ commemoravi, in quodam libello inde allato suscepi, & eodem ordine quo scripta erant, licet non eis verbis, quia certa esse videbantur, inserui; ut ex his cetera quæ vulgari sermone referuntur, veracius credi, & certius valeant sciri. Supradictus autem Diaconus, itinere quo cœperat, in Franciam venit. Ac primùm se ad Einhardum contulit, cuius supra mentionem feci, erat enim ei familiaris; deinde commendatis sub signaculo Sanctorum reliquiis, ibi in ecclesia SS. Martyrum Marcellini & Petri conseruandis, Mogontiam

*Donaria respuit profanorum.*

*Mutus officium linguæ recuperat.*

*Deus dona quâ occasione Fuldæ varias reliquias importavit. Huius aduentus secundum Deum donæ mentio apud Eginhardū, lib. 4. c. 26.*

Ff 3

profe-

*Theotmar  
Fuldēsis Mo-  
nachus Mo-  
guntia viam  
munit.  
Otgarius  
Archiepisco-  
pus Mogunt.*

profectus est; vbi tunc erat quidam Presbyter, ex Monachis nostris, nomine Theotmar, pro causis quibusdam ab Abbate ad Otgarium Archiepiscopum missus. Is cum Diaconum vidisset, cognito quòd esset Romanus, percontatus est, ob quam causam tam procul à patriâ peregrè esset profectus. Auditifq; causis itineris, hortari eum cœpit, vt partem reliquiarum, quas se habere confessus est, suo donaret Abbati, sciens se proculdubio ob id benè ab eo fore remunerandum. Placuit Diacono suadentis consilium; factaque promissione, dimisit Presbyterum, die quâ tunc inter eos conuenerat, ad locum vbi reliquias dimisit, obuiam ei reuersurum; & si Abbati conuentio eorum placuisset, reliquias suscepturum. Ille autem cum festinatione ad Monasterium reuertens, primùm responsa Archiepiscopi retulit Abbati; deinde, quo modo cum Diacono de reliquiis condictum habuerat, intimauit. Quibus ille auditis, valdè gauisus est; volensq; velociter experiri fidem sponsonis, remisit eum, & alterum cum eo Presbyterum ex fratribus nostris, nomine Artharium cum munusculis, sicut promissum erat, Diacono perferendis. Ad cuius hospitium cum venissent, allatis muneribus, reliquias, quas promiserat, reposcebant. Tum ille; Deliberatum, inquit, habeo, vobiscum pariter ad Monasterium proficisci; & non solum partem reliquiarum, sicut promisi, sed etiam totum, quod modò habeo, ex omnibus quas ad hanc terram attuli, vestro Abbati offerre; eiusq; fidei mecum eis pariter committere. Erat autem eo tempore festiuitas SS. Martyrum Marcellini & Petri; ad quam, quia magna multitudo populi confluerat, & Diaconus quosdam ex eis apud quos hospitabatur, suspectos habebat, veritus est enim, ne forte eorum machinationibus, vel fraude, vel violentiâ, reliquias amitteret; visum est eis non priùs loco egredi, quàm transactâ festiuitate populus ad sua remearet. Miseruntq; ad Abbatem, Diaconi voluntatem nuntiantes. Ipsi interea, quæ itineri suo, & subuectioni sanctarum reliquiarum, necessaria videbatur, parare curabant. Erat etiam non procul ab eis Presbyter vnus ex fratribus nostris, Anthadus præpositus locorum in illis partibus Monasterio subiacentium, cui iniunctum erat, vt statutis temporibus, inde necessaria fratribus administraret. Hunc

*Anthadus  
Præpositus.*

Brown  
Antiqu  
Fulden  
STV  
9

statuerunt accersiri; quo facilius id quod inchoatum habebant, & efficere moliebantur, fraterno roborati consilio, implere potuissent. Qui cum venisset, & populus, finitâ solennitate, ex maximâ parte iam recessisset; paratis omnibus quæ itineris eorum vsus postulabat, loculum, quo sanctæ reliquiæ erant conditæ, eleuantes, cum hymnis & laudibus ferre cœperunt; vndique per viam confluentibus populis, & elatâ in excelsum voce diuinas laudes canentibus. Ac sic iter eorum Domino prosperante, cum turbâ non modicâ, quæ feretrum sequebatur, die alterâ ad monasterium venerunt. Fratres autem occurrerunt eis, cum crucibus & cereis, aduentum eorum præstolante Abbate, in ecclesiâ B. Ioannis Baptistæ, quæ erat in itinere eorum, distans à Monasterio Africum versus quasi stadiis nouem: in quam pridie Nonas Iunij cum sacris reliquiis intrantes, populo, qui eos de diuersis veniens per saltum secutus est, & iam reuerri volebat, orandi, ac vota soluendi spatium dabant. Quibus peractis, leuantes loculum, ad Monasterium venerunt; ac basilicam B. Bonifacij martyris cum laude & lætitiâ ingressi, iuxta altare, in parte Meridianâ, feretrum cum sacris cineribus posuerunt. Alterâ autem die, Deusdona Diaconus, & germanus frater illius nomine Theodorus laicus, primo mane cum Abbate ac duobus Presbyteris, quorum ego alter eram, basilicam ingressi, loculum aperuerunt, & singulorum ossa Sanctorum, sicut in puluinis semotim condita fuerant, proferentes, Abbati dederunt: coxam videlicet ac pedem S. Alexandri Papæ & martyris: & brachiû Felicissimi Diaconi: caput S. Concordiæ martyris; ac partem de ossibus sanctorum Apostolicorum Fauiani atque Urbani martyrum Christi: pedem B. Castuli; ac dentem S. Sebastiani. De ossibus SS. Pamphili presbyteri & martyris, Papiæ, Mauri atque Victoris, S. quoque Felicitatis matris VII. filiorum: & sanctarum virginum ac martyrum Emmerentianæ atque Basilæ partes non paruas, singulis sacculis seorsim conditas. Quas cum ille venerabiliter suscepisset, & cum honore ac reuerentiâ deosculatas, loculo recondideret, post paucos dies, remuneratum Diaconum ac fratrem eius remisit in patriam; promittentes se cum aliis Sanctorum reliquiis, si eis vita comes ac diuinus fauor adesset, iterum ad eum esse

*Pompa translationis.*

*S. Ioannis ecclesia, vulgè nunc Iohansberg.  
\* 11. Non. Iunij.*

*Reliquiarum exhibitio.*

eri  
tate  
ses.

Otgarij Ar-  
chiepisc. an-  
tioritate per  
Reginbaldū  
Suffraganeū  
reliqua con-  
duntur.  
In ecclesiā  
mōris B. Vir-  
ginis.

esse venturos. Postquam illi reuersi sunt, vt irent in patriam suam, euolutis diebus admodum paucis, memoratus Abbas cum auctoritate Otgarij Archiepiscopi Mogontiacensis Ecclesiæ, per Reginbaldum Corepiscopum eius, ossa sanctorum Martyrum Alexandri & Fabiani cum magno honore intulit in ecclesiam beatæ Dei Genitricis Mariæ, ad Septemtrionalem plagam Monasterij sitam; atque in arcâ faxeâ inclusis eorum plumbeis loculis, ad Orientem altaris collocauit *iv.* Kalend. Augusti, erigens desuper ligneum ædificium, mechanicâ arte fabricatum, quod argento, & auro, atque lapidibus, pulchrâ varietate decorauit; addens etiam versus, quibus vnde, & quò, & ad quæ loca translati sunt, declaratur, metricâ lege compositos, & litteris aureis scriptos, hoc modo:

FONTIFICES SVMMI ROMA HVC QVOS MISIT HABENDOS,  
RECTORES FVERVNT SEDIS APOSTOLICAE.  
HOS SERVVS CHRISTI HRABAN SVSCEPIT OVANDO.  
ILLORVMQVE OSSA HIC CONDIDIT ET LOCULO.  
LEVITAE ERGO DVO PRAEDICTA EX VRBE SECVTI,  
VENERVNT ISTVC, DIGNI ET HONORE SVO.  
QVOS IDEM FAMVLVS DOMINI MOX OBVIVS, ASTANS  
SVPPLEX ACCEPIT. HICQVE SIMVL POSVIT.  
MARTYR ALEXANDER, MARTYR FAVIANVS ET IPSE,  
HVC VENERE SIMVL, DOCTOR VTERQVE PIVS.  
DISCIPVLI XISTI PAPAE, DIGNIQVE MINISTRI,  
FELICISSIMVS HIC AGAPETVSQ. MANET,  
OMNES HI PARITER AVLAM HANC SATIS OSSIBVS OR-  
NANT,  
VIRGO DEI GENITRIX QVAM DICAT ET MERITIS.  
VOS QVOQVE QVI INTRASTIS TEMPLVM, ISTOS CVM  
PRECE FVSA

Alia repo-  
nuntur in ba-  
siliçâ prima-  
riâ.

\* adfectibus

PATRONOS VOBIS QVAERITE IN AVXILIVM.  
Reliquorum verò Sanctorum ossa, qui suprâ nominati sunt, in arcâ, quam ad instar arcæ fœderis Dei ex ligno fabricatam, atq. deauratam cum Cherub in \* adfectibus suis in basilicâ S. Bonifacij, martyris in absidâ Orientali posuerat, donec venerationi eorum locum congruum pararet. Quod & postea cum diuino adiutorio, quàm celerrimè potuit, deuotus impleuit. Hac  
autem

Brown  
Antiqu  
Fulden  
STV  
9

autem gesta sunt, anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXV. Ann. DCCC-  
XXXV.  
Indictione XIII. regnante Domino nostro IESV Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Posthæc autem, anno sequente, venit quidam laicus ab vrbe Româ Sabbatinus nomine, cum sociis suis in Franciam ferens, Sabbatinus Romanus reliquias alias in Fuldensem ditionem importat: huius meminit Einardus l. 4. cap. 25. cui SS. Hermis, Proti & Hyacinthi, Deus-donæ iussu, reliquias attulit.  
secum reliquias; auditoque nomine suprâ memorati Abbatis, cuius deuotionem in diuino seruitio de veneratione Sanctorum longè lateque fama diulgabat, venit ad eum VIII. Kalend. Maij; deditque illi ossa S. Quirini martyris, qui fuit in Sisciâ vrbe Pannoniæ quondam Episcopus, & ossa B. Romani militis, qui à B. Laurentio baptizatus, statim capitali sententiâ consecutus est martyrium. De corpore S. Cornelij Papæ ossa XIII. & de corpore S. Calisti Papæ ossa x. De corporibus verò SS. Nerei & Achillei ossa xvi. Sancti autem Turturini ossa x. & S. Staçtei, de cineribus corporis maximam partem, & ossa x. Ille verò vniuersa hæc venerabiliter suscepta, in arcam, quam suprâ sub duobus Cherubim positam diximus, supplici deuotione collocavit. Igitur dum hæc agerentur, Addo Presbyter Addo presbyter Fuldens. S. Venantiij corpus exportat ex Italia. \* in  
Abbatis, quem suprâ ad Alabingum quemdam pro suscipiendis alicuius Sancti ossibus \* Italiam missum fuisse retulimus, corpus B. Venantiij martyris in territorio Ariminensis vrbis inuentum sustulit, & in Franciam redire festinauit. Ac primò quidem, propter metum incolarum illud occultè ferebat, deinde verò, postquam Alpium iuga transiit, & in fines Baioariorum peruenit, iam securior effectus, feretro impositum, confluentibus vndique populorum turbis, & excelsâ Deum voce laudantibus, detulit in Cellam quæ vocatur \* Suolenhus, in regione Sualaueldoni: & ad Australem plagam altaris Ecclesiæ, \* Solenhoff, S. Suola Cella de qua hic 3. libro Antiquitat.  
in feretro, sicut allatum erat, honorificè posuit. Erat autem eo tempore Præpositus cellæ illius, ex fratribus, nostris, nomine Santharatus; qui statim missis nuntio, omnem rei gestæ ordinem mandavit Abbati; rogans sibi renuntiari, vtrum sanctas reliquias eo in loco, vbi tunc erant, permanere voluisset, an sibi ad Monasterium transferri. Omnes enim populi regionis illius hoc petebant, idque summis votis optabant, vt corpus sancti Martyris ibi habere mererentur; cuius opem in diuersis infir-

mitatum sanitatibus, cottidie sentiebant. Abbas verò cum audisset, mox de suis duos monachos Presbyteros misit ad prædictum fratrem, præcipiens eis, quantâ potuissent celeritate, sanctas illas reliquias sibi adferrent. Erat enim iam tunc per omnes penè regiones illas celebre nomen S. Venantij martyris, propter virtutes & miracula, quæ Christus Dominus & Rex Martyrum per eum facere dignatus est; de quibus, quæ facta sunt in eodem loco, priusquam venirent qui ab Abbate missi fuerant, paucis arbitrò esse perstringenda. Nam, cum adhuc feretrum cum sacris ossibus iuxta altare esset positum; quædam femina de ipso pago, quæ ante sex annos oculorum lumen amiserat, rogavit se illuc adduci, credens sibi per merita & orationes S. Venantij Dominum propitiari. Cumque perducta esset, & ante feretrum prostrata suppliciter orasset; visum recepit. Posthæc altera mulier, filium suum sexennem ex utero claudum, ante reliquias sancti Martyris posuit; & expletâ laude vespertinâ, ceteris ad sua regressis, ipsa cum puero pernoctavit. Manè autem factò, sublatum adhuc, sicut fuerat debilem, domum reportans, in lectulum posuit, cellariumq. suum, ut puero panem daret, intrauit: à quo cum fuisset egressa, filium suum, quem claudum in lecto reliquit, cum aliis eiusdem loci pueris in plateâ ludentem reperit, ita sanum, ut nec signum aliquod in eo pristinæ debilitatis remaneret. In quo liquidò ostenditur, quòd suffragantibus meritis S. Venantij, puer ille sanatus sit per virtutem eius, qui & filium Reguli & puerum Centurionis verbo curavit; & in omni loco præsentia suæ maiestatis, quæcumque voluerit, facillimè potest efficere, IESVS CHRISTVS Saluator noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Hæc quidem duo miracula, quæ modò retuli, ab eis qui præsentibus erant, & ea se vidisse testati sunt, didici. Cetera verò, quæ scripturus sum, ipse coram positus vidi: qui ex eis, qui ad perferendos sacros cineres missi fuerant, vnus eram. Igitur cum venissemus ad locum, quem Solenus vocari supra diximus, paratis celeriter omnibus quæ ad deuotionem sanctarum reliquiarum necessaria videbantur, primâ luce, post completum matutinum officium, celebratis ex more Missarum solenniis, cum ingenti luctu ac mœrore eorum, qui ibidem

*Miracula  
ope S. Venan-  
tij in Solen-  
hoff edita.*

*Femina caca  
curatur.*

*Claudum  
puer.*

*Rudolphus  
à Rabano  
emissus in So-  
lèhof ad deu-  
otionem S. Ve-  
nantij ocula-  
tus testis mi-  
raculorum.*

Brown  
Antiqu  
Fulden  
STV  
9

ibidem erant remansuri, sanctum illum thesaurum sustulimus, atque iter ingressi, portare cœpimus: erat enim cœlum græue nubibus obscurissimis, & quæ citò in ingentem pluuiam resolui possent, nisi id virtus diuina fieri prohiberet. Nam totâ nocte illâ, sine intermissione, pluebat: ita, vt nobis iter illud eâ die inchoari posse minimè videretur: sed superna gratia, per merita Sancti sui, id quod timebatur, longè aliter esse fecit. Nam, vt pergere cœpimus, mox dissipatis nubibus, cœli serenitas venit; & per viam luti parum inuentum est. riui quoque, qui in tam magnâ & iugi pluuiâ, vt eâ nocte erat, crescere solebant, pænè nihil creuisse reperti sunt. Pergentes autem per singulas villas, obuiis populorum turbis excipiebamur; qui nos in dicendis laudibus diuinis, & sacro onere ferendo, non segniter adiuuabant, donec veniremus in locum, qui vocatur Holtzkiricha, sitû in Alamanniâ; vbi congregatâ maximâ multitudine promiscui sexus & ætatis, cum ingenti lætitiâ suscepti sumus. Erat autem ibi oratorium non grande, quod intrare, & feretrum inferre volentes, præ multitudine turbarum, quæ præiabant & quæ sequebantur, minimè potuimus; ac per hoc sub diuo, in loco editiore, altari erecto, ac feretro iuxta illud posito, rursus Missarum solennia celebrauimus. Vbi inter celebrandum duæ mulieres, spiritibus immundis obsessæ, vexari cœperunt: & innox per virtutem Christi, ac merita S. Venantij, fugatis dæmonibus, integerrimam mentis & corporis meruerunt recipere sanitatem. Expletâ autem Missarum celebratione, cum populus ad sua reuertisset, oratorium, quod vicinum erat, sanctos cineres intulimus, ac feretrum ponè altare posuimus; ordinatis qui ibi excubias ducerent, atque diuinis laudibus dicendis operam darent, ipsi nos in hospitium recepimus. In ipsâ autem nocte, cum ad nocturnas vigilias diuinæ laudes diceretur, quædam mulier muta, per merita sancti Martyris, soluto linguæ vinculo, loquelam recepit. Nec multo post altera mulier spiritu immundo possessa, & brachium habens aridum, per orationes sancti Martyris, eiecto dæmonio, ita perfectè corpore & mente sanata est, vt die crastinâ, feretrum ipsa cum ceteris portaret. Manè autem factò, cum Missarum solennia agerentur, quædam mulier, quæ tribus semis annis cæca fuerat,

*Serenitas in-  
expectata.*

*Applausus  
populorum in  
trāsuetudine.*

*Holtzkiricha  
Monasteriū  
S. Xisti tra-  
ctus Franco-  
nici diœ-  
ces. Valdsaz.*

*Istic dæmones  
ab obsessis ex-  
cluduntur.*

*Muta usum  
linguæ recu-  
pirat.*

*Arida debi-  
liq; membra  
sanantur.*

rat, visum recepit. Et altera, dextram manum habens debilem, per merita Sancti, consecuta est integram sanitatem. Cùm autem inde promouere parassemus, & in ipso profectiois nostræ articulo, solenniter à Sacerdote diceretur oratio; vnus ex

*Clericus pe-  
culator puni-  
tur & libe-  
ratur.  
\* fraudatus,*

Clericis qui nobiscum erant, nomine Otheri, cui suscipiendum munerum, quæ à populo offerebantur, cura commissa fuerat, partem quamdam allatæ pecuniæ \* fraudans, subito cecidit, & in conspectu totius multitudinis, quæ innumerabilis vndique confluxerat, spiritui traditus immundo, vexari cœpit: & eoufque à dæmonio possessus est, donec à circumstantibus allatâ pecuniâ, quam in zonâ absconderat, per merita & orationes sancti Dei Martyris tam perfectè curatus est, vt ab eodem loco incolumis, cum laude Dei, & publicâ sceleris sui confessione, feretrum comitaretur, donec loco suo reliquiæ sanctæ conderentur. Neque enim priùs aliquid huiuscemodi insaniam, ab infantia vsque ad tempus illud, in eo auditum aut visum est. Sed nec postea, quamdiu vixit, potestas in eum data est inimico. Igitur inde profecti, venimus in villam quæ vocatur

*Truchtmüd.*

Truhtmuntiga, vbi iuxta sacros cineres in ecclesiâ positos, quatuor mulieres in ipsâ nocte ab immundis spiritibus liberatæ sunt. Nec prætereundum esse arbitror miraculum, quod meritò huic Sancto Dei adscribitur; antequam enim ad prædictam villam ventum esset, quædam matrona nobilis, audito quòd per regionem illam Sancti Dei reliquiæ veherentur; erat enim in viâ, ad alium quemdam locum ire volens, relicto quò tendebat itinere, obuiam nobis properauit, fibulamque suam auream, quam linguâ Francorum spangam vocant, in ipso transitu perdidit: quam cùm diu cum omni comitatu suo, qui erat non modicus, quæreret, & minimè reperiret, cœptum iter carpebat, dicens: Si Domino nostro IESV Christo placet, cuius sancti famuli reliquiis supplex occurri, fibula, quam perdidit, facile est, vt à quolibet inuenta, mihi restituatur. Venit ergo, & adoratis reliquiis, oblatisque muneribus, cùm rediret, occurrit ei quidam homo ignotus, eandem fibulam præ se ferens in manu: quam cùm illa suam fore dixisset; Recipe, inquit, quia per orationes Sancti, cuius reliquias venerata es, reddita est tibi. Atque ita mulier, accepto quod suum erat, itinere suo pergebat,

*Nobilis ma-  
trona in cul-  
tu Martyris  
amissam fi-  
bulam mira-  
biliter reci-  
pit.*

Brown  
Antiqua  
Fuldensis

STV  
9

bat, laudans & benedicens Deum. Altero autem die, celebratis primo mane Missarum solenniis, cum sanctis cineribus iter ingressi, venimus in locum, qui vocatur Hassarodt, in quo monasterium est Monachorum, qui egressi cum crucibus & capsis Sanctorum reliquias continentibus, diuinas laudes concinentes, ex illâ parte fluminis aduentum nostrum expectabant. Nos verò, cum venissemus ad pontem fluminis, propter multitudinem, quæ ab Alamanniâ nobiscum venerat, & iam redire volebat, vt orandi locum haberet, parumper constituimus; in quo loco, ex accolis regionis illius, non minima pars populi è diuerso nobis occurrit. Inter quos, femina quædam vellus lanæ ferens, cum manum ad feretrum munus oblatura extenderet, lana, quam tenebat, velut fumus euauit. Quod cum vidisset, illa pauens ac tremens, cœpit quærere Presbyterum, cui peccatorum suorum confessionem daret, consiliumque suæ salutis acciperet. Interrogata autem, si lana quæ de manibus eius euauit, esset furtiua, confessâ est, non à se furatam, sed à quadam sociâ suâ sibi fuisse donatam. Cumque res diligenti inquisitione vestigaretur, inuentum est, quòd ouis, à quâ vellus illud sumptum erat, proprio possessori fuit fraude sublata. Ibi quidem turba illa, quæ nos, vt diximus, ab Alamanniâ profecta est, adoratis atque osculatis sacris reliquiis, domum reuersa est. Monachi verò, qui nos in alterâ fluminis ripâ opperiebatur, & alia multitudo quæ nobis ibi occurrit, comitati sunt nos cum diuinis laudibus, vsque ad eum locum, in quo simili modo ab aliis occurrentibus excipiebamur. quæ tunc similiter, vt prior, factâ oratione, ad sua reuersa est. Hoc modo per singulos dies, à manè vsque ad vesperam, comitantibus nos & Kyrie eleison cantantibus populorum turbis, cum ingenti gaudio gradiebamur. Cum autem appropinquassemus villæ, quæ vocatur Hamalunburg, sita super fluuium nomine Sala, quæ fuit quondam fiscus regius, donec ex largitate Pipini Regis Francorum, partibus S. Bonifacij martyris, solenni donatione collata est, occurrerunt nobis cum cereis & crucibus fratres nostri, qui habitabant in Cellâ, quæ ob hoc quòd ab eo quondam est habitata, Baugulsi vocatur; & cum eis ingens multitudo viro- rum ac mulierum, ex diuersis locis vndique confluentium.

Hassarodt  
Monasteriũ.

Lana Sancta  
oblata euauit,  
quia  
ex furto.

Confessionis  
secreta vsus.

Mos honorandi  
& agminatim publicâ  
viâ proficiscendi  
excipiendi reliquias.

Hamalunburgi veteris  
descriptio.

Baugulsi  
Cella.

*Claudus  
gressus refi-  
suis.*

Inter quos erat claudus quidam, de ipsâ villâ quam suprà no-  
minavi, qui propter cruris ac pedis vnius imbecillitatem, duo-  
bus se baculis ad incedendum sustentabat. Is, nobis paulu-  
lùm consistentibus, vt populus qui occurrit, sacras reliquias  
adoraret, in conspectu multitudinis per merita sancti Marty-  
ris, tam perfectè curatus est, vt vltra in ambulando baculorum  
adminiculo non egeret. Cùm autem pergentibus nobis, & sa-  
crum onus ferentibus, ventum esset ad fluuium, inuenimus  
Abbatem nostrum, cum Sacerdotibus ac Monachis, & magnâ  
multitudine hominum in alterâ ripâ fluminis, aduentum no-  
strum expectantem. Erat quidem ibi transitui nostro nauis pa-  
rata, sed non in apto loco ad terram subducta; iccirco præce-  
ptum est nautis, vt eam nobis obuiam ducerent, qui longè sur-  
sum ab eo loco ad litus venimus. Illis verò festinantibus, vt ius-  
sa explerent, cùm funem soluissent, & in nauem descendere pa-  
rassent, subito è manibus eorum lapsa in amnem, vi quadam  
inuisibili contra impetum fluminis acta ferebatur, donec ad  
locum quo sacrum onus susceptura erat, litori adplicata, peruê-  
nit. Transpositis autem reliquiis, & in prato adiacente Mis-  
sarum solenniis propter multitudinem sub diuo celebratis,

*Nauis ad-  
uerso amne  
properat ex-  
ceptura reli-  
quias.*

*Missa sub di-  
o celebrata.*

*Mulier rigo-  
re corporis  
incurua eri-  
gitur.*

*Lichtesbach.*

*Surdus idem  
& mutus  
puer restitui-  
tur.*

*Occursus cõ-  
gregationis  
reliquias ob-  
uia.*

cùm in oratorium, quod in villâ erat, feretrum cum sacris ci-  
neribus poneremus, mulier quædam neruorum contractione  
ita curuata, vt penitus ad videndum cælum se erigere non pos-  
set, cunctis qui aderant videntibus, coram Sancti Dei reliquiis,  
ab incommodo, quo iam per multos annos laborabat, in mo-  
mento temporis virtute diuinâ liberata est. Posterâ die inde  
profecti, venimus in locum vocabulo Lihtoluesbach, qui est  
in saltu Buconiâ, quatuor leucis distans à Vuldensi cœnobio,  
vbi suscepti ab accolis filux, quorum magna multitudo ob-  
uiam venerat, cùm in oratorio feretrum posuissemus, quædam  
mulier paupercula, filium suum sexennem à natiuitate sur-  
dum & mutum in vlnis ferens, ante Sancti reliquias posuit,  
ibi que pernoctans, die crastinâ, vt populi dicebant, audientem  
& loquentem reportauit. Nos verò completis Marutinarum  
laudibus, Missarumque solenniis ritè peractis, cum populis  
diuinis laudes concinentibus iter ingressi, cùm venissemus ad  
conspectum Monasterij, ecce Abbas noster, qui nos pridie præ-  
cessit,

Brown  
Antiq.  
Fulden

STV

9

cessit, ad ordinandam susceptionem sanctarum reliquiarum, obuiam venit; & cum eo omnis multitudo fratrum nostrorum, exceptis quos vel ætas vel infirmitas exire prohibuit, cum crucibus & cereis portantes in loculis ossa beatorum martyrum Urbani & Quirini, quæ de Româ nuper allata supra memoravi. Erat etiam cum eis & Reginaldus Corepiscopus, & infinita hominum multitudo: quippe propter Litanias maiores, quæ tunc Idibus Maij mensis, de diuersis locis ad Monasterium conuenerant. Cumque suppliciter adorassent, cum summâ veneratione, susceptum corpus B. Venantij martyris, ecclesiam S. Ioannis Baptistæ, quæ distat, vt præfatus sum, à Monasterio quasi stadiis nouem, cum hymnis & laudibus intulerunt: quod Reginaldus Corepiscopus, factâ oratione, in absidâ ecclesiæ ad Orientem altaris in arcâ faxeâ condidit; cineresque sanctorum martyrum Urbani & Quirini pariter adposuit, singulos seorsim in singulis loculis inclusos. Vbi orationibus eorum fideliter Deum deprecantibus, beneficia præstantur vsque in præsentem diem; ad laudem & gloriam Domini nostri IESV Christi, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto viuunt & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Abbas verò de super ligneum erexit ædificium, quod ex auro & argento decenter ornauit, scriptis in circuitu metricis versibus, gestæ rei causam declarantibus, hoc modo:

PRAECURSOR DOMINI CHRISTVM QVI TINXERAT VNDIS,  
 HANC AVLAM INHABITAT SANCTIFICATQ. DOMVM.  
 QVATVOR HANCQ. VIRI CHRISTI MAGNALIA SCRIPTIS,  
 QVI TVM EXPRESSERVNT, ECCE COLVNT PARITER.  
 SED HOMINES SANCTI, VALDE ET SACRO ORDINE CLARI,  
 NON MINVS EXALTANT NOBILITANTQVE LOCVM.  
 QVOS HVC DIVERSIS DVXIT EX PARTIBVS ORBIS  
 SERVO RV M DOMINI STRENVVS ACTVS AMOR.  
 VRBANVM ROMA, QVIRINVM SISCIA MISIT:  
 QVOS PIE SVSCIPIENS CONTINET ISTE LOCVS.  
 INSIGNIS PRAESVL SANCTVS VENANTIVS ATQVE  
 DE ARIMINO VENIENS HIC SIMVL IPSE MANET.  
 HOS QVOQVE SVSCEPTOS HRABANVS SORTE LOCAVIT  
 SARCOFAGO HOC: DIGNE EDIDIT ET TITVLVM,  
 DEPO-

*Litania maiores quâ frequentiâ Fulda olim celebrata.*

*Reginaldus Magontiac. Suffraganeus S. Venantium condit in ecclesiâ montis S. Ioannis, cum SS. Urbani & Quirini cinerib.*

DEPOSQENS OMNES TEMPLVM QVI GRESSIBVS INTRENT,  
IPSVM VT COMMENDENT RITE DEO PRECIBVS.

Posthæc allatæ sunt ei reliquiæ sanctorum Episcoporum Cor-

*Felix Clericus Italicus, Theodorus & Sabbatinus Romani vniuersitas Sanctorum huc inferunt reliquias. Lunisonem scilicet Einardus citat Deus-donæ fratrem.*  
nelij atque Calisti; & sanctorum Martyrum Agapiti, Georgij, Vincentij & Maximi: sanctorum quoque Virginum Cæciliæ & Eugeniæ, Dignæ & Emeritæ atque Columbanæ. Attulit autem eas quidam Clericus Italicus, nomine Felix, anno ab Incarnatione Domini DCCCXXXVIII. die quinto mensis Aprilis; post cuius reditum, non multis diebus interpositis, Theodorus frater Deusdonæ, cuius supra mentio facta est, cum quodam socio suo Sabbatino, ab vrbe Româ profectus Alamanniam venit; & sicut dudum promiserat Abbati, Sâctorum reliquias secum detulit: ossa videlicet S. Quirini, qui in Sisciâ Pannoniarum oppido quondam Episcopus erat, & temporibus Diocletiani Imperatoris, sub Amantio Præfide, inter multas quas pro Christi nomine pertulit passionis, ligatâ ad collum molâ, in flumen præcipitatus est: cumque diutissimè super vndas nataret, cum spectantibus locutus est, ne suo terrentur exemplo, & vix oratione à Domino, vt mergeretur, obtinuit. Cuius corpus inuentum, & à fidelibus honorificè sepultum est II. Non. Iun. Incurssione autem barbarorum in partes factâ Pannoniæ, populus Christianus, accepto corpore B. Quirini martyris, Romam fugit, & sacras reliquias, viâ Appiâ milliario tertio, in ecclesiâ Apostolorum Petri & Pauli, vbi aliquamdiu iacuerunt, sepeliuit in loco, qui dicitur Catacumbas. Detulit item &

*S. Quirini ossa.*

*S. Urbani.*

*S. Cæciliæ.*

*SS. Tiburtij & Valeriani ac Maximi.*

*Zenonis & Hippolyti.*

reliquias Urbani Papæ & confessoris, cuius doctrinâ suo tempore multi coronati sunt martyrio. Ossâ quoque S. Cæciliæ virginis, quæ sponsum suum fratremque eius Christo lucrata, Martyres fecit: & ipsa deinde martyrizata, ignem quidem superâs, sed ferro occisa, sub Almachio Urbis Præfecto. Nec non & ossa SS. Tiburtij & Valeriani atque Maximi, quorum primi quidem sub prædicto Almachio Urbis Præfecto fustibus cæsi & gladio sunt percussi; vltimus verò tamdiu plumbatis verberatus est, donec redderet spiritum. Attulit quoque ossa SS. Agapiti, Ianuarij & Magni, Diaconorum B. Xisti Papæ, qui cum eo sub Decio decollati sunt, sicut in gestis Pontificalibus legitur. Zenonis quoque Diaconi & Hippolyti martyris ossa, qui tempore

Brown

Antiqu

Fuldens

STV

9

tempore Decij Imperatoris, ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, & per carderum tractus, emisit spiritum. Aquilæ etiam atq. Priscillæ, vt Actus Apostolorum testantur, quondam comitum Pauli, sacrosanctas reliquias detulit: de quibus per viam, quâ ferebantur, magnum atque inauditum contigit miraculum. Vero enim cruore visæ sunt maduisse: nam tantus humor sanguinei coloris de loculo, in quo conditæ fuerant, distillauit, vt vestes quoque portantium inficeret, mentesque spectantium rei nouitate percelleret. Igitur, cum venissent, suscepit eos Santhratus frater noster, quem Cellulæ Suolonis præpositum fuisse supra diximus: & aduentum quidem eorum, cum celeritate nuntiare curauit Abbati, reliquias verò in loco, qui vocatur Holtzkiricha, honorificè collocauit, Sabbato sancto Pentecoste v. Kal. Iun. Conuenit autem illuc multitudo magna virorum ac mulierum, inter quos adducta est puella quædam duodennis, à natiuitate cæca, & brachiis cruribusque contracta; quæ per merita & orationes in ipsis vigiliis, & sanitatem membrorum, & vsum recepit oculorum. Inde post dies duos, vel tres, mulier quædam cæca visum recepit; & hominis cuiusdam à natiuitate muta ad loquendum lingua restituta est. Posthæc die teritiâ, quædam mulier tribus continuis annis nihil videns, per merita Sanctorum lumen recipere meruit: & sequenti die, alterius mulieris manus contracta, pristina restituta est sanitati. Igitur, dum talia apud reliquias Sanctorum diuinitus agerentur, venerunt, qui ab Abbate missi fuerant, ex Monachis nostris Presbyteri tres, quorum vnus vocabatur Megingoz, alter Oedoltus dicebatur, tertius autem Theotmarus erat, idem cuius feci mentionem in translatione reliquiarum B. Martyris Alexandri; qui secundum mandatum quod habebant, acceptis Sanctorum ossibus, quæ allata fuerant, cum honore & reuerentiâ ferre cœperunt. Comitata est autem eos multitudo magna virorum ac mulierum psallentium, & diuinas laudes gratulabundâ voce canentium. De pagis quoque, & de villis, certatim populi confluxerunt, adducentes secum spiritibus immundis obsessos; & diuersis infirmitatum generibus afflictos; credentes, per merita & orationes Sanctorum desideratam recipere sanitatem. Inter quos adducta est

Hh mulier

*Aquila & Priscilla.*

*Ex quorum ossibus cruor distillat.*

*Inferuntur primum in Cellâ s. Suolonis vel Solonæ.*

*Inde Holtzkiricham.*

*Cæca & mæca mirè conualescit; aliarum miracula exhibentur.*

*Presbyteri monachi tres obuiam missi reliquias.*

*Eos multitudo consequitur alacris.*

*Potestas S.  
Kiliani pro  
ditione Frã-  
conici solã.*

*Dæmoniaca  
vindicatur  
ab infessore.*

*Holtzkiricha  
ornatur reli-  
quiis SS. Ma-  
gni & Ia-  
nuarij.*

*Bischofesheim  
villa.*

*Dæmon mu-  
sca forma  
abigitur.*

*Selina à dæ-  
mone libe-  
ratur.*

*Zellinga mo-  
nasterium  
monialium.*

mulier dæmoniaca, nomine Hruodmuui, erat enim de pote-  
state S. Kiliani martyr, habitans in villâ, quæ vocatur Aſch-  
bah. Mox igitur vt peruenit ad conspectum loculi, quo San-  
ctorum reliquiæ ferebantur, arrepta ab immundo spiritu, diu  
multumque torquebatur, donec per Dei gratiam in conspectu  
multitudinis tam perfectè curata est, vt deinceps incolumis &  
sanæ mentis, in Dei laudibus perseueraret, quæ prius frequen-  
ter huiusmodi incommodo laborare solebat. Hoc quidem ge-  
stum est vi. feriâ xiv. Kalendarum Augustarum. Abbas ve-  
rò circa honorem Sanctorum magnam gerens sollicitudinem,  
me & quosdam fratribus obuiam misit, præcipiens, vt ossa  
sanctorum martyrum Ianuarij & Magni dimitterentur in mo-  
nasteriolo, quod vocatur Holtzkiricha, situm in prouinciâ  
Waldsazi; ceterorum verò Sanctorum reliquiæ ad se duceren-  
tur. Occurrimus autem eis in villâ, quæ dicitur Bischofesheim,  
vbi in Dei laudibus pernoctantes, & excubias ducentes, alterâ  
die, quæ erat Dominica, ad Holtzkiricham cum sanctis reli-  
quiis peruenimus; positoque in ecclesiâ iuxta altare feretro,  
cùm sacra Missarum solennia celebrarentur, mulier quædam  
à dæmonio curata est; nam cùm miserabiliter in conspectu po-  
puli cruciaretur, musca nigerrima & miræ magnitudinis, ab  
ore eius visa est auolare; post cuius egressum, receptâ mentis san-  
nitate, curata est. Sequentem autem die, relictis ibi, vt præceptum  
erat, ossibus sanctorum martyrum Ianuarij & Magni, atque in  
loculo, sicuti allata fuerant, ponè altare venerabiliter positis,  
cum ceteris Sanctorum reliquiis profecti sumus, prosequenti-  
bus nos fratribus, & magnâ multitudine hominum regionis  
illius. Vndique etiam ducebantur infirmi, & variis passionibus  
affecti; inter quos puella quædam nomine Selina, in ipso itinere,  
quo gradiebamur, arrepta à dæmonio, eucurrit, & morsu fe-  
retum adprehendens, mox sanæ mentis effecta est: acceptoque  
sanctæ crucis vexillo, gaudens & laudans Deum, Sanctorum  
reliquias præcedebat. Cumque venissemus ad Mœnum flu-  
uium, Sanctimoniales de Monasterio, quod vocatur Zellinga,  
cum crucibus & cereis egressæ nos susceperunt. Ingressique  
cum sacro onere in ecclesiam, vt populus, qui nobiscum vene-  
rat, & iam tunc reuerti volebat, locum haberet orandi, ac vota  
soluen-

Brown  
Antiqu  
Fulden  
STV  
9

soluendi, sextâ horâ diei solennia celebrauimus. quibus expletis, cum omni illâ multitudine venimus ad nauem. Erat etiam ex aduerso, in alterâ ripâ fluminis turba non modica aduentum nostrum opperiens. Nobis autem cum sacris ossibus nauem adscendentibus, ecce ancilla quædam Mahtildæ Abbatisse Monasterij illius, nomine Liobsuind, morbo contracta vetusto, & humo ita adclinis, vt ad videndum cælum nequam se erigere valeret, venit, reptans pedibus & manibus scammellis innixis, cumque nauem vellet adscendere, nec posset, vnus ex nostris fratribus, nomine Goxmundus, eleuatam posuit in nauem. Transpositis autem nobis, & in litus alterum cum sacris reliquiis egressis, mox mitum in modum, per virtutem Dei & merita Sanctorum mulier ita curata est, vt sine cuiuspiam adiutorio se erigeret, & scammellis, quibus eatenus innitebatur, summitatem feretri tangeret. Stabat etiam adhuc innumerabilis multitudo promiscui sexus & ætatis, ex vtraque parte fluminis, inter quos erat Reginolfus quidam Presbyter Humberti Episcopi; qui adscenso editiore loco, mulierem sanam, populis in diuinâ laude clamantibus ostendit; vt gesti miraculi multi testes, multi Dei fierent laudatores. Sed & domina illius attestata est, ex multis annis illo morbo contractam illam & inutilem effectam vsque ad id temporis perseuerasse, quo per Dei gratiam, & Sanctorum eius orationes, ab eiusmodi incommodo liberata est. Inde profecti cum diuino adiutorio, die tertiâ, hoc est VIII. Kalend. Augusti, ad Monasterium peruenimus. Egressi autem fratres, cum crucibus atque cereis occurrerunt nobis in cliuo montis, qui vocatur Hurodleichefberg; turba autem non modica ex accolis eremi, partim quidem nobiscum, partim verò obuiam veniens, illuc confluebat. Substitimus paululum, vt conuenientibus spatium daretur orandi: & ecce mulier quædam, quæ erat ab annis x. & eo amplius clinica, portabatur; cumque perlata à portantibus feretrum tetigisset, continuo, receptâ omnium fanitate membrorum, gaudens & laudans Deum, remauit ad propria. Fratres verò, susceptas Sanctorum reliquias cum hymnis & laudibus in ecclesiam B. Bonifacij martyris intulerunt; positasque cum loculo, sicut allatæ fuerant, iuxta altare BB. Apostolorum, die

*Mahtilde  
Abbatissa  
Zellingensis  
famula cu-  
rauit.*

*\*Scammela,  
schimmel  
Teuton. vox.  
fortè scam-  
nulis.*

*Reliquiarū  
quæ venera-  
tio olim per  
occursus Mo-  
nachorum.*

*Clinica sa-  
natur.*

*Humbertus  
Episcopus  
Wirzburg,  
Hrabani in-  
nitatu San-  
ctorum ossa  
sumulat in  
Holtzkirch.*

noctuque, congruâ veneratione frequentabant. His ita gestis, cum dies aliquanti transissent, vir venerabilis HRABANVS Abbas, Humbertum Wirzburgensis Ecclesiæ Episcopum, inuitavit ad Monasterium, quod Holtzkiricha vocari iam supra dictum est. Et quia ad eius dicecesin locus pertinebat, cum illius auctoritate ossa SS. Martyrum Ianuarij & Magni, venerabiliter ibi in arcâ faxeâ, ad Orietem altaris collocavit, VIII. Kalend. Nouemb. super quam ligneum erigens ædificium, auri argentiq̃ metallo, pulchrâ varietate decoravit, scriptis in circuitu metricis versibus, litteris deauratis, hoc modo:

ECCE VIROS ISTOS PRAECLAROS VALDE PATRONOS,  
ROMA DECVS ORBIS MISERAT HVC PARITER.

QVOS QVOQ. HRABANVS HVMLIS SVSCEPERAT ABBAS,  
PRAESVLE CVM HVMBERTO RITE LOCAVIT ET HIC.

HIC MAGNVS PAVSAT, MARTYR IANVARIVS ATQVE:  
OFFICIO INSIGNES ATQVE SACRIS MERITIS.

QVI CVM PONTIFICE XISTO MYCRONE PEREMPTI,  
LEVITAE CAELO REDDIDERANT ANIMAS.

*SS. Magni  
& Ianuarij  
miracula  
frequentan-  
tur in Holtz-  
kirichâ.*

Igitur ex eo tempore, quo eorum sacræ reliquiae ibi conditæ sunt, diuina vsque hodie populis præbentur beneficia. Per orationes enim & merita eorum, debiles & infirmi curantur, & ab obsessis corporibus dæmones effugantur, ac desiderata fideliter orantibus vota præstantur. Ex quibus pauca miracula, quæ ab his qui præsentés erant, & ea se vidisse testati sunt, ad meam notitiam litteris denotata, breuiter intimare curavi. Villa est ab eo Monasterio passibus mille distans ad Meridiem, nomine Gundichenhus; ex quâ mulier quædam, nomine Adelburg, cum sedisset ad mensam cum marito suo, & cibum caperet, subitâ contractione neruorum ita dirigit, vt vnguibus in palmam defixis, nequaquam digitum à digito potuisset explicare: quod cernens eius maritus, quantâ potuit celeritate, prædictam ad Monasterium, Presbyteris & fratribus loci illius præsentavit, supplicans, vt pro sanitate illius diuinam clementiam precarentur. Ducta est igitur ad memoriam Martyrum; fratribusq̃ vespertinum celebrantibus officium, & illâ coram altari prostratâ & orante, dextera manus restituta est: alterâ autem die, circa horam tertiam, receptâ etiam sinistrae manus sanitate, cum

*Mulier con-  
tractâ sani-  
tatem reci-  
pit.*

Brown  
Antiqu  
Fulden  
STV

9

cum gaudio remeavit ad propria. Altera quoq. villa est etiam non longè ab eodem Monasterio, nomine Hohhus; in quâ puella quædam, cum staret ad textrinum opus, subitaneò impetu spiritus maligni arrepta, manibusque contractis, inutilis effecta est; cumq. per continuos tres dies ac tres noctes æstuans & vociferans, multa ignota quasi cognita loqueretur, S. Gerdrudam appellabat, aliorumque Sanctorum nomina proclamabat. Inter cetera quoque affirmabat, Luciam de cælis descendentem se admonere, vt ad S. Ianuarium Magnumque martyres properaret; aiebatque semper dictos Sanctos se videre, & vsque ad locum vbi requiescunt, nominatim exprimens, ire desiderabat. Quò cum fuisset à parentibus adducta, Presbyteris ac Monachis loci illius eadem ex ordine replicauit. Pater autem puellæ, tres denarios super contractam filiæ suæ manum positos, dextrâ suâ manum illius ad altare cum munere porrexit. Quod cum factum fuisset, mox mirum in modum per orationes Sanctorum, in vno eodemque momento, & denarij super altare ceciderunt, & puellæ integra mentis ac manus sanitas restituta est. Erat etiam illis temporibus mulier quædam in villâ, quæ dicitur Erlabach, distans à Monasterio leugis XII. quæ per decem annos continuâ immundi spiritus vexatione laborabat; hanc parentes sui plenâ fide perduxerunt ad memoriam sanctorum Martyrum, stante Eburhardo Presbytero iuxta altare, ac Missas celebrante; cumque pro eâ fuisset oratum, subitò immundum, nescio quid, ac fœtidum euomuit; pariterque cum vomitu egresso dæmonio, curata ac sanæ mentis effecta est, factaque peccatorum suorum confessione, gaudens & laudans Deum, reuerfa est ad domum suam. Vir quidam erat in regione illâ, Freuiuricus nomine, de villâ quæ vocatur Betinga, cuius ancillâ vocabulo Gersuind, subitò obmutuit, ac per VII. continuas dies muta permansit: octauo autem die, ad memoriam Martyrum, per merita eorum, pristinè restituta est sanitati: nam cum in ecclesiâ publicè Missarum agerentur solennia, & lectio legeretur Euangelij, stantibus omnibus iuxta morem cum silentio & reuerentiâ, illa repente, quasi vi quadam acta, erupit in vocem, & Kyrie eleison, coram omni populo exclamauit; ac sic per virtutem Dei & merita Sancto-

*Puella mentis & manus impos, mirabiliter sibi redditur.*

*Immundus spiritus à muliere fugatur.*

*Muta loquitur.*

rum Martyrum, receptâ locutione, domum reuerfa est. Dies erat natalitius SS. Martyrum Ianuarij & Magni, præceptum est omnibus ad ius Monasterij illius pertinentibus, viris ac mulieribus, vt eo die à rurali ac seruili opere vacarent, diemq. festum dicarent. Contigit in villâ quadam, quæ à \* Schlaus Christianis habitabatur, vt vnus eorum parui pendens honorem, cum suis exiret agrum, metensq. segetem, & messem congregaret in acruos, ceteris solennes ferias celebrantibus. Interea igitur aër densissimas creuit in nubes, & tempestas seua exorta est; fulgura ventiq. vehementer vndique ferebantur: coruscationes quoque valdè terribiles, & fulgura discurrentia horrorem nimium mortalibus ingerebant; factumq. grande miraculum, Domino discernente, inter venerâtes, & festa Sanctorum eius contemnentes. Omnes enim acerui frugum, quos miser ille eo die messos congefferat, cælesti igne consumpti sunt, ceteris, quos vel ipse, vel conciuus eius pridie messuerant, in læsis permanentibus. Tantusq. timor ex hoc omnes perculit in circuitu, vt deinceps festa Sanctorum summâ colerent reuerentiâ. Contigit etiam in die solennitatis, vt puella quædam de villâ Munbrunnosi, nomine Selina, filia Bernalahi, de cottidianâ vexatione maligni spiritus tam perfectè sanaretur, vt ab eâ die nequam spiritus numquam eam inuaderet. Talibus quidem miraculis, & aliis innumerabilibus, quæ breuitati studentes omittimus, Dominus noster IESVS Christus declarare dignatus est merita sanctorum suorum Ianuarij & Magni, quorum ossa ordine supradicto translata & condita esse constat. Ceterorum verò corpora Sanctorum, quæ vel eodem quo isti, vel alio tempore adducta sunt, quo translata & condita sint, iuxta fidem gestorum declarabo.

\* Schlaus

*Ferias Martyrum negligentis messis perit, colentibus promerit.*

*Malignus spiritus coercetur.*

\* Iengis

*Rathesdorphenfis ecclesia à Rabano erecta, à monachis habitata, reliquiis SS. Cecilia, Tiburtij, Valeriani decorata.*

Locus est à Monasterio Fuldensi decem & eò amplius \* Iengis distans ad Boream, nomine Rathesdorph, à Monachis quidem habitatus, sed ad præfatum Monasterium, eo tempore ad Hrabanum Abbatem pertinentibus: in quo pulchram & diuinis officiis congruentem nouiter exstruxit ecclesiam, quam picturis & diuersorum varietate metallorum decenter ornauit; altaribus, & crucibus, auro argentoq. paratis, vasisque diuersi generis, quæ diuinus cultus exposcit, congruenter adhibitis:

Browne

Antiqua

Fuldensis

STV

9

bitis : in quam , cum auctoritate Humberti , qui Herilolfum Presbyterum illuc vice suâ miserat ossa B. Cæcilie Virginis , & SS. Martyrum Tiburtij & Valeriani intulit , atque in sarcophago saxeo post altare posuit ; singulorum ossibus , in loculis singulis seorsim conditis ; erectamque desuper , vt ei moris erat , ligneam tumbam auro parauit & argento . Titulum quoque rei gestæ seriem declarantem , metrico carmine compositum , litteris deauratis in circuitu conscripsit in hunc modum :

*Rabani epi-  
graphæ.*

POSTQVAM REX REGVM CHRISTVS SVPER AETHERA  
CELSA

VICTOR CONSCENDIT, ARBITER OMNIPOTENS.  
SERVORVM TVRBAM HIC LIQVIT, PLEBEMQ. FIDELIEM,  
QVI VERBO ET FACTIS PLVRIMA LVCRATA DARENT.  
INTER QVOS ISTI, QVORVM HIC MEMBRA QVIESCVNT,  
VIRTVTVM TITVLIS EXIMII PVERANT.  
HI POMPAM MVNDI SPERNENTES, RITE TENEBANT  
MARTYRII PALMAM, VIRGINEVMQVE DECVS.  
GERMANI ECCE DVO HIC PAVSANT, QVOS VIRGO BEATA  
LVCRATA EST CHRISTO DOGMATE CAECILIA.  
VALERIANVS ADEST VNVS, TIBVRTIVS ALTER,  
NOMINE PRAECLARVS, CLARIOR ET MERITIS.  
HAS TRES PERSONAS ROMANA EX ARCE MEANTES  
SVSCEPIT HRABAN, CHRISTE TVVS FAMVLVS.  
PATRONOSQVE SIBI EXOPTANS FIERI, ARTE MAGISTRA  
ORNAVIT TVMVLVM: CONDIDIT ET TITVLVM.

Ædificauit etiam ecclesiam valdè conspicuam in monte excelso, XII. ferè stadiis ad Orientem à suo Monasterio distantem , quam cum ex præcepto Otgarij Archiepiscopi , per Reginbaldum Corepiscopum eius , in honorem beatorum Apostolorum, Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum, Confessorum atque Virginum , omniumque sanctorum spirituum cælestium fecisset consecrari , intulit in eam ossa S. Felicitatis matris VII. filiorum Martyrum ; & S. Concordiæ, sanctarumque Virginum \* Basillæ, Emerentianæ, Candidæ & Eutropiæ ; quibus addidit ossa ac vestimenta SS. Aquilæ & Priscillæ IV. Kalend. Octobris : erectamque desuper , sicut & in ceteris fecerat , ligneam fabricam , auro argentoque decorauit , scriptis

*Mōtis S. Petri ecclesia item à Hrabanō exstructa.*

*Otgarij Archiepiscopi Moguntini iussu & Reginaldo Episcopo auxiliatore consecrata. Reliquiis variorū SS. ornata. Basilla.*

ex

ex vtraque parte versibus, qui gesta rei ordinem declararent hoc modo:

HIC LOCVS ECCE TENET SANCTORVM CONDITA RITE  
OSSA, SIMVL MEMORANS ET PIA FACTA COLIT.  
MATER FELICITAS, SANCTA ET CONCORDIA NVTRIX  
HIPPOLYTI, HIC PAVSANT, CANDIDA ET EVTROIPIA.  
PAVLI NAMQVE HOSPES AQVILA HIC ET PRISCA QVIE-  
SCVNT:

EVGENIA HIC VIRGO, ATQVE BASILLA, MANENT.  
VIRGINIS AGNETIS HIC COLLECTANEA SISTIT  
NEMPE EMERENTIANA, MARTYR ET IPSA SACRA.

*S. Leuba, vel  
Lioba in eum  
montē trans-  
lata.*

Transtulit quoque eâdem die, ossa B. Leubæ virginis, cuius vitam atq. gesta breui dudum libello comprehendi, & posuit eam cryptâ eiusdem ecclesiæ post altare in honorem V. Dei genitricis, sanctarum Virginum Christi, dedicatum in arcâ faxeâ; quam etiam ligno circumdatam, auri argentiq. metallo decenter ornauit. Sequenti autem die, per manum prædicti Corepiscopi, collocauit reliquias sanctorum Episcoporum Cornelij, Calisti, Sixti, \*Siniſij, Nicasij & Felicis; Staectei quoq. & Pamphili Presbyterorum; & sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani, Nerei & Achillei, Sebastiani quoque, Castuli & Romani; Papiæ & Mauri atque Valeriani; sanctarumque Virginum Cæciliæ, Eugeniæ, atque Anastasiæ martyrum Christi, in ecclesiâ S. Bonifacij, in loco quo prius sanctum corpus illius quiescebat. Ædificauit enim ibi turrim lapideam post altare, in cuius turris summitate mediâ, condidit prædictorum ossa Sanctorum, arcâ faxeâ diligenter inclusa; super quam culmen ligneum, columnis quatuor sustentatum erigens, auro ornauit & argento. Intra quod, arcam oblongam quadrangulo schemate factam posuit; quam etiam auro & argento, atque lapidibus ornans, singulorum Sanctorum imaginibus decenter expressis decorauit; versusque quasi ex personâ eiusdem arcæ prolatos, in circuitu conscripsit hoc modo:

NOMINE QVOS NOTO LOCVS HIC ET IMAGINE SIGNAT  
PRAECLAROS CHRISTI ECCE DEI FAMVLOS,  
QVI CORDE IMPAVIDO RVBVERVNT SANGVINE SACRO,  
PRO CHRISTO IAM ANIMAS EXPOSVERE SVAS.

Sed

Bros  
Antiqu  
Fulda  
STV  
9

*\*Siniſij vel  
Synclij,  
Reginbaldu  
Corepisco-  
pus Mogunt.  
complurum  
SS. ossa in  
primariâ ba-  
siliçâ compo-  
nit.  
Opus turri-  
zum à Raba-  
no exstructâ  
in ade sum-  
mâ.*

Sed & in turre subiectâ versus conscripsit; quatuor quidem in vno latere, & quatuor in altero, elegiaco carmine hoc modo compositos:

MARTYRIBVS CHRISTI, QVORVM HIC OSSA QVIESCVNT,  
 HRABANVS HVMILIS CONDIDIT HVNC TVMVLVM.  
 HORVM TV LECTOR SI NOSCERE NOMINA CVRAS,  
 ARCA SVPERPOSITA PANDIT ET IPSA TIBI.  
 ROMA DECVS MVNDI, LAVS RERVM, SVMMA POTESTAS, *Roma laus.*  
 HOS IAM LECTORES PONTIFICESQVE HABVIT.  
 CVM QVIBVS HIC PAVSANT SVMPTI DE PARTIBVS ORBIS  
 VIRTVTE CLARI, CHRISTE, TVI FAMVLI.

In reliquis verò duobus lateribus Asclepiadeo carmine hos versus scripsit:

FELICES NIMIVM ATQVE BEATI,  
 QVOS REX CHRISTVS OVANS ARCE SVPERNA  
 SANCTIS PRO MERITIS COLLOCAT ASTRIS,  
 VITAM PERPETVAM REDDIT ET ILLIS.  
 QVI TEMPLVM DOMINI GRESSIBVS INTRANT,  
 HOS NVNC ADMONEO CORDE BENIGNO  
 CHRISTVM SVPPLICITER VT PRECE POSCANT,  
 QVO CVM MARTYRIBVS SIDERA PRAESTET.

Aliorum autem Sanctorum reliquias de diuersis partibus orbis plurimas congregavit; atque in oratoriis, quæ tempore sui regiminis numero triginta construxerat, & ab Episcopis, in quorum diœcesi fuerant, dedicari fecerat, honorificè collocavit; de quorum locis, & consecrationum auctoribus atque temporibus, Sanctorumque nominibus, quorum spoliis inlustrantur, si vita comes & diuinus fauor adfuerit, locis oportunis scire volentibus declarabo.

Cùm igitur vir ille venerabilis, Monasterium sibi commissum, per annos xx. nobiliter rexisset; & deposito curæ pastoralis pondere, ad ecclesiam, quam ad Orientem Monasterij in monte constructam esse suprâ dixi, se contulisset; ibi manens ac Deo seruiens, cælesti philosophiæ vacabat. Erat enim in Scripturis à *Mons S. Petri.*  
 pueritiâ valdè studiosus, & secundùm donum sibi cælitus datum, lectionem diuinorum librorum plurimùm adamauit; *Rabani studium & eruditio sacrarum litterarum.*  
 atque in his sæpiùs meditatus est. Vnde etiam hortatu fratrum

*Commenta-  
rii & lucu-  
brationes. de  
quibus consu-  
le Trithem.  
& Nic. Sera-  
rium lib. 4.  
rerum Ma-  
gunt. in  
Rhabano.*

suorum atque amicorum, aggressus est scribere expositiones diuinorum librorum, tam veteris quam noui Testamenti. Nam, vt ipse testatus est, primùm scripsit anno ætatis suæ circiter trigesimo, in laudem sanctæ Crucis duos libellos. hoc est, vnum metrico stylo cum figuris mysticis, quæ in diuinis libris longè antè prænotatæ sunt, vt in his manifestaretur Christi passio, & redemptio nostra, in figurâ S. Crucis esse prænuntiata. In quo etiam solutâ oratione subiecta est vniuscuiusque figuræ explanatio: & sic viginti octo, exceptâ superliminari paginâ, videntur in eâ contineri figuræ, simul cum expositionibus suis. Sequentem autem libellum ideò conficiendum putauit, quem etiam in viginti octo capitulis breuiavit, vt locutionem metrici prioris libelli, in eo lucidiorem faceret. Posthæc, scripsit ad Heistolfum Archiepiscopum, de institutione Clericorum libros tres; in quibus de Ecclesiasticis ordinibus, & officiis diuersis quæ in Ecclesiâ geruntur, ratio demonstratur; & ordo discendi, ac modus docendi verbi Dei, declaratur. Ad quem etiam scripsit tractatum super Euangelium Matthæi, consummans illum octo libris: cuius & hortatu fecit Homilias diuersas per totum annum, ad diuersas festiuitates; & de variis vitiis atque virtutibus subiunxit Sermones, ad prædicandum populo Dei. Posthæc, rogatu Episcoporum Frecholfi videlicet & Fridurichi, & Humberti, scripsit in octoteuchum commentariorum libros XXIX. hoc est in Genesim lib. IV. in Exodum lib. IV. in Leuiticum lib. VII. in Numeros lib. IV. Similiter & in Deuteronomium lib. IV. in Iesu Naue lib. III. in Iudicum lib. II. in Ruth quoque librum vnum fecit. Etiam rogatu Hiltuini Abbatis libros IV. in expositionem libri Samuelis & Regum. Similiter, Hludouico Imperatore hortante, in Paralipomenon edidit lib. IV. Scripsit præterea expositionem in historiam Iudith lib. I. & in historiam Hester similiter lib. I. quos tradidit Iudith Augustæ. Librum quoque Machabæorum priorem, petente Geroldo Archidiacono, libellis duobus explanauit: sequentem verò libello vno. Librum quoque, qui nuncupatur Sapientiæ, hortatu Otgarij Archiepiscopi in tribus libellis, prout potuit, enodauit. Et librum Iesu filij Sirach, qui appellatur Ecclesiasticus, decem libris similiter elucidauit. In Ieremiam quoque

Prophe-

Browne

Antiqua

Fulda

STV

9

Prophetam xx. libros expositionis, iuxta sensum maiorum edidit. In epistolas quoque Pauli, hortatu Lupi Diaconi, collectaneum fecit, colligens de diuersis opusculis SS. Patrum, sententias eorum, & in ordinem disponens, in xxx. libris illum determinauit. Sunt quoque alia opuscula eius, quæ ad interrogata diuersorum ei respondere necessarium fuit: quorum vnum est, de Corepiscoporum ordinatione, super quo ad Dragonem Archiepiscopum scripsit librum vnum. Ad Notingum quoque Episcopum Veronensem de præscientiâ ac prædestinatione Dei, de gratiâ & libero arbitrio, scripsit librum vnum; in quo, quid rectè sentiendum esset, ostendit. Nam ad Hludicum Imperatorem scripsit librum vnum, contra eos qui oblationem secundum Regulam S. Benedicti destruere volebant. Cui & misit epistolam consolatoriam post calamitatem, quæ ei accidit ex parte filiorum suorum, & Optimatum: in quâ ex diuinis testimoniis ostendit, quòd falsum iudicium non potest rectè condemnare innocentem: in quâ etiam nouissimè prouocat eum, ad indulgentiam in se commissorum. Postea, hortatu eiusdem, fecit collectarium vnum de sententiis diuinorum librorum; in quo primùm testimoniis diuinis probauit obseruandum esse honorem parentum, & subiectionem potestati à Deo ordinatæ: deinde, de diuersis speciebus virtutum, & è contratio vitiorum, testimonia de auctoritate diuinâ, in eodem opere subiunxit; demonstrans, qualiter cuiumque ordini in ecclesiâ Deo militandum sit: quod opus xl. capitulis consummauit. Ad interrogata quidem Bonosi Abbatis respondendo, quomodo cognationis commixtio declinanda sit, & mágica ars deuitanda, confecit librum vnum. Scripsit quoque libellum vnum ad Otgarium Archiepiscopum, in quo primùm de pœnitentiâ legitimâ, & spe indulgentiæ, deinde diuersa capitula de canonibus diuersorum Conciliorum subiunxit, ad corrigenda hominum vitia, & instituta religionis Christianæ roboranda. Præterea quoque Machario monacho pe-

.... Desiderata nonnulla in MS. expleat velim, qui potest.